

SANCTISSIMO; AC BEATISSIMO PATRI,  
AC DOMINON. D.

# VRBANO OCTAVO PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

CANONICI CAPITVLVM ECCLESIAE CORDVBENS.  
SEMPITERNAM FELICITATEM.



**D**E gloriā, B E A T I S S I M E P A T E R,  
cæli enarrant, non quod vocem edant.  
Sed qui fecit cælos in intellectu Domi-  
nus, in Sanctis, & iustis, tanquam in cæ-  
lis thronum sibi constituit, & domici-  
lium. Quos immensa sua philanthropia, &  
benignitate indagandæ naturæ studioſos  
physiologos efficit, ac mirabilis eorum, quæ  
ſenſu percipiuntur, allectat, & afficit pul-  
chritudinē. Deinde in ſe modis omnibus pulchram, amabi-  
le, ſummamque bonum trahit, & rapit. Hi Divinæ ſpecula-  
tionis, & cognitionis lumine illustrati, perenni affectuum, ac  
deſideriorum continuato velut orbium motu, & converſione,  
ceriſimo in ipsum Dominum volvuntur cursu. Virtutum  
tidiem micantium instar ſiderum exornati fulgoribus, et terre-  
ſcaleſtes effecti D E I gloriā, magnificētiā, ſapientiā,  
bonitatē perpetuā vocis contentionē prædicant, & enat-  
ū, ac ſuā doctrinā luce, operationiſ imagine, & exemplo  
mōs formant, & ad cæleſtem informant vitā. Ex horum or-  
o, quos Dominus ſemper ſuā p̄ovidet Ecclesiæ, fuit reli-  
quissimus Frater A L B A R V S Cordubæ noſtræ cognominis,  
i omni genere, & existimatione virtutis, ac sanctitatis exi-  
ſcloruit. Diu, noctuque eam vigilavit vigillam, nē vñquam

4

vq-

voluptatibus pērmotus, aut concupiscentia abiectus, vel vitijs corruptus ab egregijs, optimisque dessisteret functionibus, Nē verò aliquā infectus labe à proposito decideret, arctioris vitæ nexibus adstringi concipiuit, & sacrosancti Prædicatorij Ordinis disciplinam est amplexatus, & professus. Indole, & ingenio præditus excellenti, sacrarum literarum studio, & sapientiā imbutus, magisterij est insignitus titulo, & honore, ac ad concionandi munus allectus, faustis id suscepit, & præstiti auspicijs. Candidissimi huius lilij suavis odor in omnem Hispaniam; aliasque orbis partes latè diffusas, in Regiam esteuatus. At cūm inter primos non infirmum dignitatis obtine-re gradum, alta quadam rerum humanarum despectione abe- elongavit se fugiens, & solitudinis desiderio in Mariano nemoro saltu, quinto fermè à nobis lapide, cænobia ædificando situm non multū Ierosolymitano dissimilem, prout ipse notarat, delegit, & in eo Regis munificentia donato illud Angelorum ope cōstruxit: Beatissimi DOMINI, simul & cælestis scalæ nomen indidit. Quod expetierat, cepit, profecit, & ad extimam usq; metam, cælitum more, perfeccissimè curriculum confecit. Non quasi stella matutina in medio nebula, sed solis tanquam serenum iubar affulxit, & doctor, & effector oppidanos, ac silvestres irradiavit accolas, & cæcas criminum discussit tenebras. Claustris clausa se se virtus illa continere non poterat, sed erēmi recondito asidue abdebat in specu, quod secretius ab arbitris liberior, eò ferventius corpus domi-bar, ut spiritus purior in sublimiore rerū Divinarū anagogicā eveneretur theoriam. Cuius itaque in cælis magna animi cōstantia perseveravit conversatio, eadem prorsus CHRIStI Iesu DOMINI nostri, ac cum ipso esse, ardenter flagraba, & appetebat amore. Meritis demùm, & virtutibus plenissime cumulatus dormienti similis suavissimè migravit ad Domi-num. Qui eius insignem sanctitatem in vita, & post felicem transitum, etiam nunc miraculis clarissimis, & signis config-natam, & testatam voluit.

Cum autem Cænobium illud aliquandò deseriri contigisset, & receptaculum pecori pateret, vir sanctus frequens viuis nocturno tempore bestias propulsare, & æs pulsare Campanum: Cælestes etiam conspecti splendores, ardentes faces longo duci ordine, & psalmorum auditu concentus. Ac si ille ad religiosum socios revocaret hospitium, & socordiam increpat. Tanti fratribus iij excitati monitu, & exhortatione, ac prodigijs percussi, incultum reversi coluere locum, nec deinceps linquere sunt ausi, cælestis quandoquæ fragrantia afflatu per-suum, uti si ex varijs herbarum, & florum fasciculis, & aromatum suffumentis odoratissimi exhalentur, & spirent spiri-tus alijsquæ continuò collistratum miraculis. Quibus, & fidelium concursionibus exigentibus, illius sacrosanctæ reliquia luciendo conditæ loculo in altaris medio iam olim sunt sublimatae, & lampadum, & alijs affectæ honoribus. Singularè quid in ipsis supra commune nitescit, quod intuentum ad reverentiam movet animos. Qui piâ acclamatione Sanctum compellant, & invocant, varijs etiam donis, & munib; decoratum, exornant sacrum conditorium: atquæ quod in ipsis honorem sacrae oblationes offerri Missarum solemnia, aliæquæ Divinæ laudes celebrari nequeant vehe-menter dolent: Ac votis, & precibus enixè à Domino penunt, & efflagitant à Beatissima Apostolica sede TVA indul-gentia.

Pronostri igitur officij munere supplici geniculatione, humiliquè prece BEATIT. TVAM impensè, magnoquæ obse-camus effectu, ut populorum precibus, & votis annuas, & solitis: atquæ solenniæ sacræ apothese s ritu suspiciendum, admirandumquæ hunc virum Sanctorum dignum honore, numero, cultu, & veneratione decernas. Simul & in eum, pœm supera donatum luce, & in cælis degentem piè credimus, fidelium pietatem, cum devotione, & religione coniunctam, quæ ipsius reveriti, veneratiq; sumus non vanam, & vacuam, sed debitam, & iustum sacramentum apostolatus TVI audito:

auторitate declares. Ut eius intercessionibus Deus ori-  
MAX. BEATIT. TVAE, & praesentem, & sempiternam largi-  
simè tribuat felicitatem. Datum Cordubæ in Capitulo nostro  
Tertio Non. Maij. Anno Domini CIC. ICC. XXV.